



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

Libri primi partitio


urn:nbn:de:hbz:466:1-25059



PETRI DANIELIS
H V E T I I
ORIGENIANA.

OPERIS TOTIVS PROLOGVS ET PARTITIO

COLLIGENTI mihi supersites primigeniorum Origenis Operum reliquias, & in publicam lucem dare paranti, optimum factu visum est, & vulgo utile, nec à Scriptorum ætatis huius, qui Veterum edendis monumentis operam suam consecrarunt, consuetudine alienum res Origenis referre. Quod parce à nonnullis, indiligenter ab aliis, plene, & animo vel amore vel odii vacuo à nemine omnino factum adhuc, sedulam & affectibus liberam tractationem exposcebat. Res Origenis dico, non gestas modo, sed cogitatas etiam ab eo, & literis proditas: nec enim agendo solum, sed meditando quoque, commentando & scribendo vitæ suæ otia Origenes partitus est. Quamobrem trifariam dividetur istud quod aggredimur opus. Ac primum ipsius perscribemus vitam, facta, mores, & obitum. Hinc de eius eruditione differemus & dogmatis, quæ magnas in Ecclesia dum viveret, maiores post eius excessum turbas conciverunt. Scripta demum eius, quæ multorum Critica vexavit, attingentur & discernentur.



LIBER PRIMVS

ORIGENIS VITA.

Libri primi partitio.

Quatuor capitibus liber iste absolvitur. Primum continet quidquid natales inter Origenis, & Severi Imperatoris mortem intercessit. Secundum pertinet ab obitu Severi ad initia imperij Maximini. Tertium res Origenis à Maximini primordiis ab Philippi necem gestas complectitur. Quartum à Philippi morte exorsum in Origenis occasu desinit.